



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

LXXIV. Praeceptum Karoli Calvi pro monasterio Montisolivi in dioecesi
Carcassonensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

tionem ejus clementer excipientes, hoc altitudinis nostræ præceptum fieri jussimus; per quod præcipimus atque firmamus ut præscriptæ villæ, cum omnibus omnium rerum adinentiis & appendiciis, absque cujuslibet immutatione aut subtractione, præscriptæ sanctæ crucis Ecclesiæ Canonicorum usibus & stipendiis nostris & futuris temporibus perpetua lege habeantur & teneantur; videlicet ut quicquid ex eis justè & rationaliter fieri potest, utilitatibus & necessitatibus memoratorum Clericorum secundùm administrationem proprii Pontificis semper præbeat augmentum & supplementum. Ut autem hæc magnitudinis nostræ confirmatio plenior in Dei nomine obtineat vigorem, de anulo nostro subter eam jussimus sigillari. Data 111. Idus Februarij Indictione xv. in anno x11. regni Karoli gloriosissimi Regis. Actum in villa Briona in Dei nomine feliciter. Amen.

LXXIV.

Præceptum Karoli Calvi pro monasterio Montisfolvi in diœcesi Carcassonensi.

An. 844. Ex archi-vo monasterij Montisfolvi.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis, Karolus Dei gratia Rex. Cùm petitionibus fervorum Dei justis & rationalibus divini cultus amore favemus; superna nos gratia pro his muniri non dubitamus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum præsentium futurorumque sagacitas quia vir venerabilis Richomirus Abbas ex monasterio quod nuncupatur Mallati, situm in territorio Carcassensi super fluvium Duranum, constructum in honore sancti Iohannis Baptistæ, cum terminis & adjacentiis suis, obtulit obtutibus nostris quandam auctoritatem Domni ac genitoris nostri Hludovici patris recordationis serenissimi Augusti; in qua erat insertum qualiter antecessoris sui antecessor ipsam monasterium novo construxisset opere, & propter ejus defensionem vel propter pravorum hominum illicitas infestationes in manu ejusdem Domni Imperatoris unâ cum monachis ibi degentibus se commendavit, ut sub ejus tuitione licuisset eis cum rebus hominibusque eorum quietè vivere ac residere; & deprecatus est clementiam regni nostri ut præfatam monasterium unâ cum villulis quarum nomina sunt villa Secarj, seu villa Alderj, necnon villa Junionis super idem fluvium præfatum Duranum, villam Magnianacum in pago Tolosano super fluvium Fiscavum, necnon & cellulas quæ nuncupantur sancti Martini prædicto monasterio subiectas, quæ sunt sitæ in eodem pago super fluvium Lampium, sive sanctæ Cæcilie & sancti Petri, quæ sunt super fluvium jamdictum Duranum, locumque qui dicitur Oratorium cum omnibus rebus & adjacentiis sive terminis suis, sub nostra suscipere defensione & immunitatis tuitione. Cujus precibus ob amorem Dei & reverentiam divini cultus libenter aures accomodate placuit, & hoc nostræ auctoritatis præceptum immunitatis tuitionisque gratia fieri decrevimus; per quod præcipimus atque jubemus ut nullus iudex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in

Tom. II.

Ecclesias, loca, vel agros, seu reliquas omnes possessiones prædicti monasterij, quas moderno tempore possidet, vel quæ etiam deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas augere, ad causas audiendas, aut freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius monasterij tam ingenuos quàm & servos super terram ipsius commanentes injustè distringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas, nostris nec futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Et quicquid de rebus præfati monasterij fiscus sperare potest, totum nos pro æterna remuneratione præfati monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum stipendiisque monachorum ibidem Deo famulantium proficiat in augmentum. Et quandoquidem divina vocatione supradictus Abbas vel successores ejus ab hac luce migraverint, quandiu ipsi monachi inter se tales invicem poterint qui ipsam congregationem secundùm regulam sancti Benedicti regere valeant, scilicet qui præesse pariter & prodesse queant, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant eligendi Abbates, quantum pro nobis & totius regni nostri à Deo nobis concessi stabilitate jugiter Domini misericordiam exorare delectet. Et ut hæc auctoritas à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris veritè credatur diligentisque conservetur, manu propria subter firmavimus & anuli nostri impressione signari jussimus. Signum Karoli gloriosissimi Regis. Datum 111. Kal. Augusti anno xv. regnante Karolo gloriosissimo Rege, Indictione secunda. Actum Germiniaci palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

LXXV.

Præceptum Karoli Calvi pro monasterio sancti Hilarij in diœcesi Carcassonensi.

Ex archi-vo S. Hilarij.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis, Karolus Dei gratia Francorum Rex. Quicquid enim ob amorem divinæ reverentiæ operibus justis implere satagimus, ad æterna beatitudinis gloriam capessendam profuturum nobis omnino non dubitamus, quin etiam ad regni nostri diuturnum felicemque statum pertinere proculdubio credimus. Idcirco cognoscat sagacitas seu utilitas omnium fidelium nostrorum tam præsentium quàm & futurorum qualiter religiosus Ana Abba ex monasterio sancti Hilarij, quod est situm in pago Carcassonense super rivum Leuco, constructum scilicet in honore sancti Saturnini martyris, ubi etiam prædictus sanctus Hilarius confessor corpore requiescit, ad nostram accedens clementiam obtulit mansuetudini nostræ quandam auctoritatem sanctæ memoriæ Domni & genitoris nostri Augusti Ludovici, in qua continetur qualiter idem Dominus & genitor noster prædecessores suos prædictumque monasterium cum omnibus rebus sibi justè legaliterque pertinentibus sub defensionis suæ tuitione immunitatisque munimine receperit. Petiit etiam idem venerabilis Ana Abba magnitudinem nostram ut eandem auctorita-

Z Z z z ij